
OJ
INTER·FOLIA·FRVCTVS



GYMNASII REGII POSNANIENSIS

# EXAMINA ANNUA

DIEBUS IV. V. VI. OCTOBRIS

PUBLICE INSTITUENDA

INDICUNT

*M. Stoc* et *H. Wendt*,

DIRECTORES.

---

ANNALIBUS SCHOLAE PRAEMITTITUR

## LECTIONUM SOPHOCLEARUM SPECIMEN

PROPOSITUM


AB

*IO. FRID. MARTINO*,

GYMNASII PROFESSORE.

---

FORMIS W. DECKERI ET SOCIETATIS.
1832.



# IO. FRID. MARTINI

# LECTIONUM SOPHOCLEARUM

## SPECIMEN.

Constitueram hac scholastici programmatis scribendi occasione oblata accuratius inquirere, quo tempore Sophocles Trachinias in scenam misisset. Nam cum anno 1820. mihi primum illam fabulam attentius legenti mota esset suspicio, eam ceteris quae supersunt poëtae tragoediis longo temporis spatio antecedere ac fortasse ab adolescente admodum scriptam esse; hanc coniecturam, non improbatam Aug. Seidlero, praeceptori carissimo, seminarii philologici Halensis tum moderatori, repetita deinde lectio ita novis omnis generis argumentis confirmabat, ut vix ullus dubitationi locus relinqui videretur. Itaque summa cum voluptate aliquot annis post, iam rerum mearum sede a. 1825. Posnaniae collocata, ex brevi annotatione, quam Ed. Wunderus Trachiniis a. 1824. a se editis subiccit, huius viri acutissimi iudicium cognovi prorsus cum meo consentire iisdemque niti argumentis. Cuius librum cum primum vidi, strenue exercebar Lexici Sophoclei condendi labore, quem ut susciperem Buttmannus litteris a. 1822. ad me datis hortatus fuerat. Quam rem agens cum ad Trachinias accessissem, ipsa illa opera nova sententiae meae fulciendae et firmandae suppeditavit argumenta. Colligendae autem lexici Sophoclei materiae impendi alteram partem a. 1825. et totum insequentem, ac deinde etiam disponendae

et pertexendae eius initium feci. Interim cum ego consilium meum cum perpaucis tantum amicorum communicassem; ecce, praeter opinionem Schwetschkius, bibliopola Halensis, vir honestissimus, per litteras mihi se redemptorem offert atque subsidia litteraria, si forte quae optarem, se suppeditaturum liberaliter pollicetur; ac ne tum quidem deterretur, cum ego me quinque minimum sexve annos operi meo conficiendo destinasse significavissem. Videbatur igitur conatui meo fortuna supra spem favere, et Buttmannus, Seidlerus, Schaeferus, alii, quorum iudicium plurimi facio, vehementer me incitabant. Verum enimuero, praeter quandam penitus mihi insidentem scribendi fugam ac timorem (fatendum est enim), cum publicum docendi munus et privatae institutionis auctâ familiâ et indies crescentibus omnium fere rerum pretiis suscipiendae necessitas insequenti tempore parum mihi reliquit otii; tum vero infirma saepe valetudo, casus domestici, aliae causae gravissimae quas exponere ab hoc loco alienum est, valde eam quae ad opus et diuturnum et molestum taedüque saepe plenissimum feliciter perficiendum necessario requiritur, animi alacritatem et hilaritatem represserunt. Sic factum est, ut infectum opus et per aliquot iam annos ne tactum quidem adhuc in scrinio inclusum lateat et quiescat. Nec videtur iam emittendum esse, cum nunc ipsum Ellendtius eadem re suscepta suum Lexicon Sophocleum iam prelo tradiderit, ut mea opera nunc non amplius desideretur. Ceterum eaedem quas attuli causae magna ex parte impedimento fuerunt, quo minus iam scriptiunculam de Trachiniis perficerem; nec nisi omnibus argumentis diligentissime perpensis, ne forte nimium demonstrando, ut fit, nihil demonstrarem, eam in publicum emittere volui. Itaque nunc nonnisi locos quosdam Sophocleos breviter vel emendandos, vel defendendos et illustrandos suscepi. Quae cum non tironibus scriberem, sed viris maxime eodem docendi munere fungentibus, nec prorsus imparatis a melioribus poetae exemplaribus; omissa, nisi quantum res ipsa posceret, fere omni scripturae varietate

et diversarum coniecturarum atque explicationum recensione in eo plerumque acquievi, ut meam sententiam exponerem; neque vero nube locorum undique congestorum, quippe quorum aditum et copiam et ipsi haberent viri docti, lecturos obruere volui, ne in vitium illud, quod saepe philologorum nationi obiicitur, incurrerem. His iam expositis nihil restat, nisi ut Neuianum exemplar mihi haec scribenti ad manus non fuisse moneam, et ut hanc meam qualemcumque opellam idoneis iudicibus non prorsus improbari exoptem.

---

## *SOPHOCLIS AIAC.* v. 172—181. Brunck.

Ἦ ῥά σε Ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις
(ὢ μεγάλα φάτις, ὢ
μᾶτερ αἰσχύνας ἐμᾶς),
ὥρμασε πανδάμους ἐπὶ βοῦς ἀγελαίας,
ἦ πού τινος νίκας ἀκάρπωτον χάριν, —
ἢ ῥα κλυτῶν ἐνάρων
ψευσθεῖσ'; — ἀδώροις εἴτ' ἐλαφηβολίαις;
ἦ χαλκοθώραξ ἢ τιν' Ἐνυάλιος
μομφὰν ἔχων ξυνοῦ δορὸς ἐννυχίοις
μαχαναῖς ἐτίσατο λώβαν;

Sic mihi hic locus, quam plurimis et diversissimis modis ab interpretibus coniectando et explicando vexatus, legendus et interpungendus videtur, nulla fere facta librorum scripturae mutatione, nisi quod v. 177. pro ἦ ῥα dedi ἢ ῥα, v. 178. ex Musgravii emendatione ψευσθεῖσ' ἀδώροις, cum vulgo legeretur ψευσθεῖσα δώροις, ut δώροις praecedentibus iungeretur, et v. 179. cum Hermanno ad Eurip. Hec. p. 153. ed. prior. et Guil. Dindorfio ἢ pro altero ἦ. Praeterea totam stropham cum eodem Dindorfio interrogative

accepi, cum vulgo post v. 178. comma, quod perspicuitatis causa in interrogandi signum mutavi, et in fine v. 181. punctum ponatur, in eo tantum diversam a Dindorfiana ratione viam ingressus, quod cum ille, ut vulgo legitur, v. 177. ἤ ῥα reliquerit et post ψευσθεῖσ' v. 178. commate interpunxerit, ego haec quoque, ἦ ῥα scribens, interrogative intelligi volui. Iam ut rationem meam exponam, chorus de auctore et causa insaniae Aiaci immissae coniecturam facit interrogando, eamque duplicem: *utrum Diana id fecit* (v. 172—178.), *an Mars* (v. 179—181.)? Itaque ἤ v. 179. est *an*, et alterum interrogationis membrum incipit. Prior vero pars ipsa quoque est bipartita. Nam cum ex diversis causis Dianae ira repeti posset, his duabus chorus immoratur, Aiacem fortasse aut victoriae alicuius bellicae (v. 176.: ἤ πού τινος νίκας ἀκάρπωτον χάριν), aut venationis (v. 178. ἀδώροις εἴτ' ἐλαφηβολίαις) Dianae auxiliatrici gratiam non retulisse. Quod in his ἤ — εἴτε particulae sibi respondent, insolentius sane illud (nam εἴτε — ἤ quidem saepissime legitur), offensionem tamen habet nullam, tuitusque est eam formam Lobeckius coll. Eurip. Alc. v. 114.: στείλας ἤ Λυκίας εἴτ' ἐπὶ τὰς ἀνύδρους Ἀμμωνίδας ἕδρας. Priori vero horum membrorum iterum coniectura est subiecta pariter interrogative expressa v. 177.: ἦ ῥα κλυτῶν ἐνάρων ψευσθεῖσα;. Quam eandem sententiam affirmative sic poterat proferre: ἴσως κλ. ἐν. ψ.. Diversis autem modis Aiaci gratiam deae referre licebat, ut sacra faciendo, ludos sollemnes instituendo, spolia suspendendo, etc. Quarum rerum cum spoliorum donatio, quia id monumentum honoris deae habiti futurum erat perpetuum, imprimis accepta ei putari posset, spolia non donata potissimum commemorantur. — In altera deinde totius enuntiati parte primaria, qua de Marte auctore fit coniectura, quamvis insolite ἦ interrogativum post ἤ particulam illatum videri possit, hoc tamen per se ipsum non potest offendere, imprimis vocabulo (χαλκοθώραξ) interposito. Ἦ vero perinde atque ἆρα non raro mediae interrogationi inseritur. De ἆρα cfr. Oed.

Col. vv. 26. 150.; de ἦ Eur. Hec. 1013.: ποῦ δῆτα; πέπλων ἐντὸς ἦ κρύψασ' ἔχεις; Plat. Rep. III. p. 396. B.: τί δέ; ἵππους χρεμετίζοντας καὶ ταύρους μυκωμένους καὶ ποταμοὺς ψοφοῦντας καὶ θάλατταν κτυποῦσαν καὶ βροντὰς καὶ πάντα αὖ τὰ τοιαῦτα ἦ μιμήσονται; Praemittuntur vero illae particulae notioni primariae, nisi quando aut enclitica, ut hoc Aiacis loco, aut levior particula, ut Oed. Col. 150. interseritur. — Musgravii denique emendationem v. 178. et facillimam et ingeniosissimam cum aliis quibusdam viris doctissimis et veram esse existimo et paene necessariam propter membrorum concinnitatem: τινὸς νίκας ἀκάρπωτον χάριν et ἀδώροις ἐλαφηβολίαις, quorum alterum dempto adiectivo nimis nude poneretur. Atque eodem modo legisse videtur scholiasta, sic explicans: ἆρα οὖν, φησί, χαριζομένη σοι τὸ νικᾶν καρπὸν καὶ ἀπαρχὰς οὐκ ἐδέξατο τῆς νίκης, ἢ ἀπὸ κυνηγεσίων δῶρα οὐ λαβοῦσα; quae meam explicandi rationem eo quoque confirmant, quod prior totius interrogationis pars, prorsus ut ego volo, bipartita accipitur, non, ut vulgo fit, tripartita. Quae antem paulo post illa scholiastae verba in cod. Laur. leguntur: εἴτ' ἐλαφηβολίαις] ἀπὸ κοινοῦ τὸ ψευσθεῖσα, manifesto ad diversum auctorem sunt referenda. Qua vero ratione viri doctissimi tuentur vulgatum: ἦ ῥα κλυτῶν ἐνάρων ψευσθεῖσα δώροις, εἴτ' ἐλαφηβολίαις, eam certe duram esse, nemo, opinor, facile infitias ibit.

*AIAC.* v. 194. sq. Hermanno in verbis:

ἀλλ' ἄνα ἐξ ἑδράνων, ὅπου μακραίωνι
στηρίζει ποτὲ τᾷδ' ἀγωνίῳ σχολᾷ,

iungenti ὅπου ποτέ reddentique *ubicunque tandem* equidem nequeo assentiri. Nam cum chorus Aiacem in tentorio sedere sciat, non potest generalis esse sententia. Nec vero magis probo Brunckianam interpretationem: *ubi nimis longa haeres defixus hac anxia mora;* ubi praeter perperam intellectum ἀγωνίῳ σχολᾷ, quod recte explicuit Hermannus, ποτέ omnino est

neglectum. Equidem *ποτὲ* reddiderim *aliquando, tandem,* **noch endlich,** ut *στηρίζει* cum vi quadam pro futuro positum sit. Nolim enim *στηρίξει* reponere, quamvis facili mutatione.

*AIAC.* v. 198.:

*ἐν εὐανέμοις βάσσαις.*

In adiectivo *εὐάνεμος* hoc loco errari solet dupliciter. Primum enim, cum *α* longum sit, corripiendum putant, quem errorem Passovius in Lex. Gr. s. v. nunc correxit. Attici pariter atque Iones *εὐήνεμος* dicebant, Dorienses, et in lyricis carminibus etiam tragici, *εὐάνεμος* producta *α* vocali. De huius similiumque vocum formandarum lege cfr. Lobeck. ad Phryn. p. 702. sqq. et de hoc ipso nomine p. 710. *Εὐήνεμος* legitur in trimetris Eurip. Androm. 749., Danaes fr. X. (III. Dind.) v. 2.; in soluta oratione Lucian. Abdic. c. 27., *εὐάνεμος* dorica forma, praeter eum locum de quo hic agitur, Sophocl. Laocoon. fr. 2. ap. Schol. Aristoph. Ran. 678., Theocr. Id. XXVIII., 5., Pausan. Lacon. (lib. III.) c. 13, 7. Seriores tamen poetae *εὐάνεμος* correpto *α* ponebant, cuius exemplum Passovius attulit Crinagorae Epigr. 23., (Anthol. Pal. IX. 555.), 6., et sic haud dubie accipiendum est *εὐανέμῳ* illud quo in Etym. M. p. 388, 27. explicatur Hesiodeum *εὐαέϊ* Opp. v. 597. — Sed hoc ut levius iam mittamus. Gravius vero erratum mihi videtur, quod Brunckius *εὐάνεμος* hic reddit *ventosus,* vertens: *ventosis in saltibus,* Passovius in Lex. Gr. s. v. **stürmisch,** quae vis neque in hunc ex Aiace locum cadit, neque in ullum eorum qui mihi innotuerunt. Eurip. Dan. fr. 10.:

*Γύναι, φίλον μὲν φέγγος ἡλίου τόδε,*
*καλὸν δὲ πόντου χεῦμ' ἰδεῖν εὐήνεμον,*
*γῆ τ' ἠρινὸν θάλλουσα πλούσιόν θ' ὕδωρ* etc.

apparet mare non tempestatibus excitatum intelligi posse, sed leni vento mo-

tum ut crispetur superficies. Similiter sumendum videtur Soph. Laoc. fr. 2.: Πόσειδον,' ὃς Αἰγαίου πρῶνας ἢ γλαυκᾶς μέδεις εὐανέμου λίμνας. Apud Lucianum Abdic. c. 27.: ἐν τῇ πεδινῇ καὶ βαθείᾳ καὶ ποτιζομένῃ καὶ εὐηλίῳ καὶ εὐηνέμῳ καὶ ἐξειργασμένῃ (χώρᾳ) ἀναφύσεται εὐθαλὴς, οἶμαι, καὶ εὔτροφος καὶ πολύχους καρπὸς, intelligitur ager vento satis expositus, *luftig*, cuius modi area Hesiodo Opp. 597. vocatur εὐαής:

δμωσὶ δ' ἐποτρύνειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτὴν
δινέμεν, εὖτ' ἂν πρῶτα φανῇ σθένος Ὠρίωνος,
χώρῳ ἐν εὐαεῖ καὶ ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ.

Eodem modo Crinagoras parvam quandam insulam prope Corcyram positam, cuius nomen in v. 1. corruptum latet, laudat ut

— τίκτουσαν ἐπ' αὔλακι πῖαρ ἀρούρης,
— καὶ παντὸς κάρπιμον ἀκροδρύου,
καὶ πολλοῖς εὔαγρον ἐπ' ἰχθῦσι, καὶ ὑπὸ μαίρῃ
εὐάνεμον, λιμένων τ' ἤπιον ἀτρεμίῃ.

Apud Theocritum Id. XXVIII., 5.:

τᾷδε γὰς πλόον εὐάνεμον αἰτεύμεθα παρ Διός,

navigatio dicitur secundis ventis prospera. Apud Euripidem denique Androm. 749.:

— — — χείματος γὰρ ἀγρίου
τυχοῦσα λιμένας ἦλθες εἰς εὐηνέμους,

intelligendi sunt portus ventorum impetui non obnoxii, tuti a tempestatibus. (Cfr. εὔφημος.) Referenda ad hunc Euripidis locum videtur Photii, Hesychii, Etymologi, Suidae glossa: εὐηνέμους· εὐδιεινούς, καλούς, ἀχειμάστους. Eodemque modo εὐανέμους βάσσας apud Sophoclem esse explicandas docet ipsa sententiae ratio. Βᾶσσαι enim cum sint τόποι κοῖλοι καὶ ναπώδεις montibus et silvis cincti, tutae sunt plerumque a vento et tranquillae. Atque hoc ipsum hic requiritur, ubi causa affertur, cur inimicorum

Aiacis ὕβρις ἀτάρβητος ὁρμᾶται. In tuto enim sunt et securi ἐν εὐανέμοις βάσσαις, quemadmodum ferae, a quibus desumpta videtur similitudo, talibus locis latere amant. Similiter supra v. 167. sqq. inimici Aiacis cum avium grege comparantur. — Longior fui in re parva illa quidem, at digna tamen, quae plane conficeretur. Hoc unum addam, βῆσσα vel βᾶσσα mihi non a verbo βαίνειν, ut sit τόπος βάσιμος, sed a βάϑος vel βαϑύς derivandum videri, cui opinioni ipsa nominis significatio favet. Comparetur comparativi forma βάσσων; ad quam rationem proxime accedunt ἧσσα, ἥσσων.

*AIAC.* v. 210.:

παῖ τοῦ Φρυγίου Τελεύταντος.

Variis labanti versui medendi modis a Bentleio, Porsono, Hermanno tentatis liceat mihi quoque hariolationem addere, ut, si forte, et poetae et metro succurram. Cum enim ubique fere personarum quae nondum in scena fuerunt nomina aut cum ingressurae sunt indicari soleant, a choro potissimum, aut cum intrarunt, nisi ipsae, ut saepe fit in prologis, nomen suum appellant, ab interlocutoribus in prima allocutione vocari, Tecmessae nomen primum v. 331. profertur. Quare nisi forte patris nomine et v. 215. verbis ἐπεί σε λέχος δουριάλωτον στέρξας ἀνέχει ϑούριος Αἴας satis mulierem significari censeas, nuper suspicatus sum a poeta fortasse scriptum fuisse:

Φρυγίου Τέκμησσα Τελεύταντος,

addito autem ab aliquo vel librario vel grammatico explicandi causa παῖ vocativo ac deinde in textum recepto expulsum esse nomen mulieris, utque metrum aliquo modo restitueretur, Φρυγίου nomini praemissum τοῦ articulum.

*AIAC.* v. 243. seq.

κακὰ δεννάζων ῥήμαϑ', ἃ δαίμων
κοὐδεὶς ἀνδρῶν ἐδίδαξεν.

Hermannus: *„Male Musgravius de malo genio cogitavit. Immo omissum est prius* οὐ, ἃ οὐδεὶς δαίμων, κοὐδεὶς ἀνδρῶν ἐδίδαξεν. *Est autem hoc usitatissimum, deos atque homines coniungi, quum omnino omnes, maximeque quum negatione addita nullum significare volunt, etiam si vel de diis, vel de hominibus cogitari nequeat. Ut infra v. 397. Itaque hoc dicit: quae nemo quisquam docuit."* Haec ratio etsi grammaticis legibus non repugnat, re tamen refelli mihi videtur. Nam si nec deorum neque hominum quisquam Aiacem ista docuit, quis tandem id fecit, nisi Aiax ipse ea excogitavit? id quod poeta vix credi potest indicare voluisse. Immo unice vera mihi videtur vulgaris interpretatio, quam Musgravius bene illustravit. Similis prorsus huic locus est Oed. Reg. v. 1258 sq.:

λυσσῶντι δ' αὐτῷ δαιμόνων δείκνυσί τις·
οὐδεὶς γὰρ ἀνδρῶν, οἳ παρῆμεν ἐγγύθεν.

Oppositionis vero formâ etiam propius accedit Aesch. Ag. 661—663. Dind.:

ἡμᾶς γε μὲν δὴ ναῦν τ' ἀκήρατον σκάφος
ἤτοι τις ἐξέκλεψεν ἢ 'ξῃτήσατο
θεός τις, οὐκ ἄνθρωπος, οἴακος θιγών.

*AIAC.* v. 475. 76.:

τί γὰρ παρ' ἦμαρ ἡμέρα τέρπειν ἔχει
προσθεῖσα, κἀναθεῖσα τοῦ γε κατθανεῖν;

Longam eamque inutilem operam suscipiat, qui omnes omnium difficillimi huius loci explicationes refellere velit. Quibus omissis Hermanni tantum rationem memorabo vertentis: *„Quid potest dies cum die alternans oblectationis afferre, quum nihil nisi de moriendi necessitate aut addat aliquid, aut differat?"* Haec primum eo laborant, quod cum προσθεῖσα κἀναθεῖσα copulative dicta sint, ea tamen ita reddita sunt, ut si disiunctive

scriptum esset ἢ προςθεῖσα ἢ ἀναθεῖσα, quae dicendi genera quantum inter se differant apparet. Deinde Hermannus genitivum τοῦ κατθανεῖν utrique participio iunctum partitive accepisse videtur, quem infinitivi genitivo positi usum vellem exemplis confirmasset. Mihi quidem quae ratio ante hos duodecim annos ingredienda visa est, eadem hodie quoque probatur, ut ad προςθεῖσα ex verbis v. 473. αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου, repetatur τῷ βίῳ, προςθεῖσα autem absolute accipiatur, ut, si velis, τὶ supplere possis. Cfr. Plat. Theaet. p. 155. A.: ᾧ μήτε προςτίθοιτο μήτε ἀφαιροῖτο; ubi cfr. Heindorfius p. 325. Add. Euthyphr. p. 3. D. Astius ad Plat. de Rep. (I. p. 335. A.) p. 346. Eodem prorsus modo nostrates utuntur verbis **zulegen** et **zusetzen**. Pariter ἀναθεῖσα absolute dictum videri potest: *removens a moriendo, a moriendi tempore, a morte*, ut liberum tibi sit utrum αὐτόν, i. e. ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζοντα βίου, *hominem longae vitae cupidum*, an τὸν βίον supplere velis. Oritur iam haec sententia: *Quid enim dies diei accedens s. additus oblectare potest, addens vitae et removens nonnisi a morte?* Vides iam recte se habere καί particulam, non opposita, sed similia iungentem. Reliquum est ut γέ particulae vim exponam. Moriendi notio ea sic elevatur, ut Aiax malum quod in morte vulgo situm putant deprimat, quippe cui mors vel optabilis videatur. Quod igitur quam primum adesse optandum sit, id istos significat differri stulte gaudere,

*AIAC.* v. 602. sqq.:

ἐγὼ δ᾽ ὁ τλάμων παλαιὸς ἀφ᾽ οὗ χρόνος
Ἰδαῖα μίμνω λειμῶνι᾽ ἄποινα, μηνῶν
ἀνήριθμος αἰὲν εὐνῶμαι
χρόνῳ τρυχόμενος.

Laudo equidem Dindorfium, quod hanc certissimam Hermanni emendationem

vulgatae scripturae metro pariter ac sensui repugnantis: Ἰδαία μίμνω λειμωνίᾳ ποίᾳ μήλων, ἀνήρ. cett., in ordinem recepit, neque quicquam ego addam, nisi eandem fere eiusdem nominis ἄποινα depravationem factam esse apud Moschum Id. VI., 6., ubi pro πάσχε δ' ἄποινα Stobaei (Flor. LXIII., 29.) ed. Frob. habet πάσχε δαποίαν.

*AIAC.* v. 716—718.:

κοὐδὲν ἀναύδητον φατίσαιμ' ἄν, εὖτέ γ' ἐξ ἀέλπτων
Αἴας μετανεγνώσθη
θυμόν τ' Ἀτρείδαις μεγάλων τε νεικέων.

Saepenumero miratus sum, quod cum v. 718. veteres libri et scripti et editi Triclinianis exceptis omnes pariterque Suidas v. μετανεγνώσθη praeberent θυμόν, optimus Brunckianus metro convenienter θυμόν τ', tamen omnes post Brunckium editores praeter Theoph. Car. Guil. Schneiderum et Matthiaeum hanc scripturam aspernati aut ex Hermanni coniectura ediderunt θυμοῦ τ', aut adeo Triclinianum θυμῶν, quod Flor. Γ. apud Dindorfium pro varia lectione habet. Et θυμῶν quidem, licet Lobeckius pluralem huius nominis bonorum scriptorum auctoritate tueatur, tamen nusquam, quod sciam, apud poetas, certe non apud tragicos, epicos et Pindarum is numerus reperitur, ut manifestum sit Triclinium hic metri causa infeliciter novasse. Quod vero spreto θυμόν accusativo editores, cum ipsi diversos interdum eidem verbo casus iungi concederent, tamen tanto consensu genitivum praetulerunt, non videntur mihi causam et rationem mutatae structurae perpendisse. Iam nemo dubitabit, quin etsi recte dicas μεταναγιγνώσκομαι τοῦ θυμοῦ, tamen sicut active μεταναγιγνώσκω σε τὸν θυμόν, sic recte et legitime dicatur μεταναγιγνώσκομαι τὸν θυμόν, ut Eurip. El. 577.: συμβόλοισι γὰρ τοῖς σοῖς πέπεισμαι θυμόν. Verum non item recte dixeris μεταναγιγνώσκομαι τὰ νείκη, sed necessario hic requiritur τῶν νεικῶν. Causa discriminis est

manifesta. Debebat igitur poeta, etsi accusativum θυμόν posuerat, deinde genitivo uti. Ceterum θυμόν etiam scholiasta is legit, qui mire transiectis et perperam intellectis poetae verbis haec habet: ὁπότε ἐξ ἀνελπίστων καὶ μεγάλων νεικέων ὁ Αἴας μετεπείσθη καὶ μετεβλήθη τὴν ψυχὴν τοῖς Ἀτρείδαις ἀπὸ τῆς ἔχθρας.

*AIAC.* v. 722.:

κυδάζεται τοῖς πᾶσιν Ἀργείοις ὁμοῦ.

Hunc locum eo tantum consilio attuli, ut multorum, in his etiam Passovii, errorem notarem, primam verbi κυδάζεσθαι syllabam producentium, quod tanto magis miror, cum et ab antiquis iam grammaticis de corripienda ea fuerit monitum, et tres certe poetarum loci satis noti verum id esse demonstrent. Qui error inde videtur ortus, quod plerique illud verbum ad τὸ κῦδος referrent, cum ὁ κύδος eius sit fons, cuius tamen primam saepe perperam circumflexo notatam videmus: ὁ κῦδος. Veniam vero ea res faciliorem impetrabit, quia hoc substantivum nusquam, quod equidem sciam, nisi apud grammaticos exstat. Et Hesychius quidem, iam Bielio eo nomine reprehensus, utramque vocem, quamquam genere et potestate diversam, confundit scribens: κῦδος· δόξα, ἀρετή, νίκη, τιμή, ἀριστεία, λοιδορία, κακολογία; nisi forte alterum lemma ante λοιδορία errore excidit. Rectius Photius: κύδος. λοιδορία, ἀρσενικῶς· καὶ παροιμία· κύδου δίκην ὀφείλειν, ἐπὶ τῶν συκοφαντησάντων. — κῦδος· γαῦρος, δύναμις, δόξα. φήμη. Eodem modo Suidas, inverso tantum utriusque capitis ordine; ubi in ed. Bas. 1544. (alius exemplaris mihi non est copia,) pro κύδος est κῦδος. Schol. ad Soph. Ai. 722.: κυδάζεται· λοιδορεῖται, ὑβρίζεται ὑπὸ πάντων· καὶ Ἐπίχαρμος ἐν Ἀμύκῳ·

— — Ἄμυκε, μὴ κύδαζέ μοι
τὸν πρεσβύτερον ἀδελφεόν.

καὶ Αἰσχύλος ἐν Ἰφιγενείᾳ·

οὔ τοι γυναιξὶ δεῖ κυδάζεσθαι· τί γάρ;

ἀρσενικῶς δὲ ὁ κύδος ἐπὶ τῆς ὕβρεως. Syracusiis hoc nomen in usu fuisse docet scholiasta Apollonii Rhodii ad versum I., 1337.:

ὦ πέπον, ἦ μαλα δή με κακῷ ἐκυδάσσαο μύθῳ,

monens: κύδος ἀρσενικῶς ἡ λοιδορία παρα Συρακουσίοις; quae repetivit Etym. M. p. 325, 3.: ἔστι κύδος ἀρσενικῶς καὶ σημαίνει παρὰ Συρακουσίοις τὴν λοιδορίαν. Quare etiam proverbium Photio l. l. memoratum ad Syracusios referendum coniecerim. Zenobius denique, Cent. IV, 70., Schrevelio ad Hesychium citatus: κύδος, λοιδορία, κακολογία. καὶ κυδάζειν, τὸ λοιδορεῖν καὶ κακολογεῖν. ἡ δὲ πρώτη συλλαβὴ βραχέως ἐκφέρεται. Verum id esse et loci ex Aeschylo et Apollonio citati demonstrant, et Epicharmus Athen. VI. p. 236. A.:

τήνῳ κυδάζομαί τε κἀπωνηχθόμαν.

*AIAC.* vv. 811. 812.:

χωρῶμεν, ἐγκονῶμεν, οὐχ ἕδρας ἀκμή,

σώζειν θέλοντες ἄνδρα γ' ὃς σπεύδει θανεῖν.

In posteriori versu cum aliquot codices (Laur. A. pr., Pal., Aug. C., Flor. Δ.) ὃς ἂν σπεύδῃ θ., habeant, unus, Dresd. B., praeterea θέλοντος, Hermannus maiore post ἐγκονῶμεν posita interpunctione dedit: σώζειν θέλοντας ἄνδρα γ' ὃς σπεύδῃ θ., Dindorfius, vulgata interpunctione servata, in editione Teubneriana a. 1825. σώζειν θέλοντες ἄνδρ' ὃς ἂν σπεύδῃ θ., in poetarum scenicorum volumine σώζειν θέλοντες ἀνέρ' ὃς σπεύδῃ θανεῖν; et γ' quidem omittit Flor. Γ. Mihi vulgata tuenda videtur. Namque ut sententia generali, ut Hermannus vult, haec Tecmessae oratio terminetur, equidem vix consentaneum puto animo mulieris vehementissime commoto, non docere nunc volentis, sed hortantis et excitantis. Ceterum γε

particulae positionem recte explicavit Hermannus; artissime enim coniungenda sunt, non interpunctione disiungenda verba: ἄνδρα γ' ὅς σπεύδει θανεῖν pro ἄνδρ' ὅς γε σπ. θ. Quod vero Dindorfius nunc dedit ἀνέρ', valde equidem vereor, ne formae huius nominis non syncopatae in trimetro locum habere non possint. Certe apud Sophoclem omnia exempla in lyricis carminibus inveniuntur. Sunt autem haec: ἀνέρες Phil. 709., et vocativo Trach. 1011., ἀνέρων Oed. Reg. 869. Ex Aeschylo nullum exemplum Wellauerus attulit.

*ELECTR.* vv. 194—97.:

οἰκτρὰ μὲν νόστοις αὐδά,
οἰκτρὰ δ' ἐν κοίταις πατρῴαις
ὅτε οἱ παγχάλκων ἀνταία
γενύων ὡρμάθη πλαγά.

Hermannus, refutatis aliorum interpretationibus, vv. 194. 95. ipse sic reddit: *lamentabilia fuere, quae dicta sunt in reditu patris; lamentabilia etiam, quae dicta sunt ubi thalamum est ingressus.* „Dicit autem populi lamenta, qui quod non occultum esset Aegisthi et Clytaemnestrae adulterium, iam in reditu Agamemnonis sortem, quam ei paratam praesagiebat, lamentatus sit, mox autem, perpetrato facinore, etiam magis doluerit.“ Non possum equidem huic rationi accedere. Non de populi lamentis hic sermonem esse puto, sed de ipsius Agamemnonis, ut huius αὐδὰ οἰκτρά sit intelligenda. Construendi autem illi versus sunt hoc modo: οἰκτρὰ μὲν αὐδά, ὅτε νόστοις, οἰκτρὰ δέ, ὅτε ἐν κοίταις πατρ. οἱ π. ἀντ. γεν. ὡρμ. πλ., hoc sensu: *lamentabilis fuit Agamemnonis clamor, cum in reditu, lamentabilis, cum in cubili paterno ei aeneae securis adversus ictus illatus est.* Inest his quaedam gradatio; lamentabilis enim fuit eius clamor, quod in ipso reditu, atque adeo in thalamo paterno caede est exceptus. In poetae

verbis quod ὅτε primariis notionibus νόστοις et ἐν κοίταις πατρῴαις est postpositum, cum saepissime coniunctiones ita collocentur, neminem, opinor, offendet. V. 196. vix potest dubitari, quin Hermannus recte σοι in οἱ mutaverit.

*ELECTR.* vv. 226—28.:

> τίνι γάρ ποτ' ἄν, ὦ φιλία γενέθλα,
> πρόσφορον ἀκούσαιμ' ἔπος,
> τίνι φρονοῦντι καίρια;

Vexavit in his interpretes dativus; et Hermannus quidem reiecta Blomfieldii explicatione ipse scholiastam et Brunckium secutus sic interpretatur: *a quo enim, opportuna afferente, aliquid audiam?* i. e. *quis ita opportnne sentit, ut utile quid ad me consolandam proferat?* Insolentius Sophoclem iunxisse verbo ἀκούειν dativum, quia in eo lateat significatio verbi πείθεσθαι. Similiter Matthiaeus Gr. Gr. p. 722. Verum audacius et durius hoc mihi videtur, recteque Bothius huic rationi repugnat, tolerabilem tamen nec ipse afferens. Aliam igitur et faciliorem interpretationem circumspiciamus. Equidem dativum in illis verbis eiusdem generis esse dixerim, cuius in Antigonae v. 904.:

> καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ.

*Cuius recte sapientis iudicio?* ut haec sententia prodeat: *quis enim recta mente praeditus me utile et quod consolari me possit verbum audire iudicet s. censeat?*

*ELECTR.* vv. 1003. sq.:

> ὅρα, κακῶς πράσσοντε μὴ μείζω κακὰ
> κτησώμεθ', εἴ τις τούσδ' ἀκούσεται λόγους.

Hermannus explicat: *cave, ne, si res male cedat, maiora nobis*

*mala contrahamus, si quis haec audiet.* Conditionaliter igitur κακῶς πράσσοντε accipit. At vereor ut recte, quamquam non duplex me conditio offendit. Admitterem illam interpretationem, nisi haec: εἴ τις τούσδ' ἀκούσεται λόγους, addita essent. Sic enim ea prorsus inutilia sunt Nam si res male cedat, ergo, si antequam ad felicem exitum perducta sit, deprehendatur et impediatur, conditio sororum peior fiat necesse est, sive quis hos sermones audiverit, sive non audiverit. Non enim verba, sed facta tum punientur. Praeterea tum scribendum erat potius κακῶς πράξαντε, *si res male cesserit.* Equidem illa verba sic intelligo: *cum miserae iam simus.* Sensus igitur est: *vide ne praesentem nostram miseriam etiam angeamus,* sive, *maiora praesentibus mala nobis contrahamus, si quis haec audiet.* Et hanc in sententiam nunc video iam Brunckium vertisse: *vide, ne male iam affectae, maiora nanciscamur mala, si quis istos sermones audierit.* Erat autem id tanto magis verendum, qnia tum ne tentari quidem amplius res poterat.

*OEDIP. REG.* vv. 220. sq.:

— — — οὐ γὰρ ἂν μακρὰν
ἴχνευον αὐτός, μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον.

Hic primum haud scio an, cum Laur. A., B., Par. B. et pro varia lectione Flor. Γ. pro αὐτός habeant αὐτό, hoc αὐτό praeferendum sit, quod etiam scholiasta legisse videtur explicans: οὐ γὰρ ἄν, φησί, τοσούτου ὄντος τοῦ χρόνου τοῦ μεταξύ, ἀνεζήτουν τὸ πρᾶγμα, εἰ μὴ ᾔδειν καταληψόμενος. In Par. B. ascriptum est: τὸ περὶ τοῦ μιάσματος. Sed longe maior oritur dubitatio, quomodo intelligenda sint verba μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον. Brunckius glossema quoddam, ἐπεὶ οὐκ ἔχω τι σημεῖον, secutus vertit: *neque enim investigando multum ipse promoverem, qui nullum indicium habeo.* Quae ratio cur admittenda non sit, nemo ignorat.

Hermannus contra, cui Bothius astipulatur, sic: *parum ipse investigando proficerem, nisi aliquid indicii reperirem;* et similiter Erfurdtius: *nisi aliquod haberem indicium.* Haec explicatio quamquam locorum ubi μὴ οὐ participio iunctum invenitur fere omnium ratione commendari videtur, hic tamen toti orationis nexui est contraria. Nam si recte Hermannus vertisset, Oedipus habere se et reperisse, aut certe in eo esse ut reperiret indicium aliquod significaret; quod multo secus se habet, cum totius rei prorsus sit ignarus. Sin vero vestigium facinoris illius aliquod aut deprehendit aut deprehendisse se simulat: quî potest eam quam ingreditur viam inire, quae nihil eum compertum habere ostendat? Atque ipse modo vel interfuisse se illi caedi vel comperisse de ea quicquam diserte negavit v. 219. sq.:

ἁγὼ ξένος μὲν τοῦ λόγου τοῦδ' ἐξερῶ,
ξένος δὲ τοῦ πραχθέντος,

causamque deinceps addit v. 222: ὕστερος γὰρ ἀστὸς εἰς ἀστοὺς τελῶ. Verum nec haec verba: οὐ γὰρ ἂν μακρὰν ἴχνευον recte intellecta mihi videntur. Quod ut appareat, etiam propius haec inspiciamus. *Edicam,* inquit, *ignarus eius rei et expers facinoris; nam parum ipse investigando proficerem, nisi aliquid indicii reperirem.* Enuntiationes causales indicativo temporum historicorum cum ἂν particula expressae et particulis γάρ aut ἐπεί iunctae praecedentibus plerumque cum praemissa sententia ita cohaerent, ut haec in conditionem possit mutari huius formae: εἰ τοῦτο μὴ ἦν, *hoc nisi ita esset.* Conditioni igitur positae cum veritas repugnet, nec id, quod in enuntiatione ei subiecta dicitur, potest locum habere. Ac plerumque quidem conditio illa ex praecedemtibus est supplenda; interdum tamen exprimitur; quod si fit, apparet eam non posse priori illi enuntiato, quod causalem enuntiationem antecedit, repugnare. Utriusque generis exempla Sophoclea videamus. Oed. Reg. 82. sq.:

ἀλλ' εἰκάσαι μὲν ἡδύς (βαίνει)· οὐ γὰρ ἂν κάρα
πολυστεφὴς ὧδ' εἷρπε παγκάρπου δάφνης.

Hoc est: *εἰ μὴ ἡδὺς ἔβαινεν, οὐκ ἂν — ὧδ' εἷρπεν.* Ib. v. 317. sq.: *ταῦτα γὰρ καλῶς ἐγὼ | εἰδὼς διώλεσ'· οὐ γὰρ ἂν δεῦρ' ἱκόμην.* I. e. *εἰ μὴ ταῦτα καλῶς εἰδὼς διώλεσα, οὐκ ἂν δεῦρ' ἱκόμην.* Cfr. Oed. Col. vv. 97—101., 124—127., 144—148. Electr. vv. 1505—1507.:

*χρῆν δ' εὐθὺς εἶναι τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην,*
*ὅςτις πέρα πράσσειν γε τῶν νόμων θέλοι,*
*κτείνειν. τὸ γὰρ πανοῦργον οὐκ ἂν ἦν πολύ.*

Inest his haec sententia: *οὐκ ἔστιν ἥδε ἡ δίκη, εὐθὺς κτείνειν, ὅςτις ἂν — θέλῃ. εἰ δ' ἦν, τὸ πανοῦργον οὐκ ἂν ἦν πολύ.* Oed. Reg. 433. sq.:

*οὐ γάρ τί σ' ᾔδη μῶρα φωνήσοντ'· ἐπεὶ*
*σχολῇ γ' ἂν οἴκους τοὺς ἐμοὺς ἐστειλάμην.*

I. e. *εἰ ᾔδη σε μῶρα φωνήσοντα, σχολῇ γ' ἂν σε ἐστειλάμην.* Electr. vv. 1319. sqq.: *ὡς ἐγὼ μόνη | οὐκ ἂν δυοῖν ἥμαρτον· ἢ γὰρ ἂν καλῶς | ἔσωσ' ἐμαυτήν, ἢ καλῶς ἀπωλόμην.* Ergo *εἰ μόνη ἦν, ἢ καλῶς* etc. Conditionis additae exempla haec sunt: Trach. 277. sq., ubi pro *εἰ μὴ δόλῳ ἔκτεινεν* dictum *εἰ ἐμφανῶς ἠμύνατο.* Poterat ibi omissa conditione dici: *Ζεὺς γὰρ ἂν συνέγνω ξὺν δίκῃ χειρουμένῳ.* Cfr. Phil. 1035—39. Oed. Reg. 1455—57. *μὴ 'πὶ τῷ δεινῷ κακῷ* est *εἰ μὴ ἐπὶ τῷ δεινῷ κακῷ ἐσώθην,* quae si omissa essent, ex praecedentibus intelligeretur: *εἴ με νόσος ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον πέρσειν ἔμελλεν.* Phil. 412. sq. 946. sq. Aiac. 81. sq. Scyr. fr. 6. (501. Dind.) Alibi *γὰρ* et *ἐπεί* particulae explicandi vim habent, ut Phil. vv. 867—871. ubi vv. 869—871. causam indicant, cur Philocteta *τὸ ἐλπίδων ἄπιστον* dixerit. Similis ratio est Antig. v. 389. sq. Ad idem genus referri potest Antig. 904—906. Restant duo loci, ubi causalis enuntiatio interrogative est expressa, Oed. Reg. 1371. sqq. Trach. 707. sq., qui loci facile in vulgarem formam possunt redigi: *οὐ γὰρ οἷός τ' ἂν ἐγενόμην τὸν πατέρα προσιδεῖν, οὐδαμῶς γὰρ ἂν ὁ θὴρ τοῦτο ἐποίησεν.* Iam ut ad eum locum, de quo hic agimus,

redeam, illa: οὐ γὰρ ἂν μακρὰν ἴχνευον, si vulgarem interpretationem sequamur, neque cum praecedentibus, neque cum insequentibus congruunt, cum haec oriatur sententia: *nisi ξένος essem, parum proficerem*, s. *non multum promoverem.* Immo tum aliquid se profecturum sperare posset. Melius hac ex parte convenit scholiastae quam supra attuli explicatio. Quamquam ne haec quidem ferri potest, quia nec μακράν potest esse τοσούτου ὄντος τοῦ μεταξύ, nec simulatio illa, ut iam ostendi, locum habere. Omnia vero bene cohaerebunt, si sic vertemus: *alioquin enim non diu investigarem, quin haberem s. deprehenderem aliquod indicium*, i. e. *brevi aliquod deprehenderem indicium.* Hoc autem fieri nequit, quia nec comperit quicquam, nec interfuit facinori, et quia post illam caedem demum in civitatem est receptus. Praedicat igitur Oedipus sagacitatem suam, quam alibi quoque et ipse laudat, ut vv. 392. sqq., et aliquoties chorus celebrat. At, inquiet, tum μὴ οὐ non cum participio erat iungendum, sed cum infinitivo. Scio sane usitatius Sophoclem dicturum fuisse ὥστε vel ὡς μὴ οὐκ ἔχειν τι σύμβολον; verum omnino naturam harum particularum, imprimis participiis iunctarum, nondum satis perspectam esse existimo; pauca enim a grammaticis huius constructionis atque eadem ab omnibus afferuntur exempla, quibus doctrinam de earum potestate superstruxerunt; et Oed. Col. 360. certe in verbis ἥκεις γὰρ οὐ κενή γε — μὴ οὐχὶ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι, etsi recte vertas, *nisi mihi pavorem aliquem afferas;* sensus tamen non vetat ea sic reddi: *utique non vacua venis, quin mihi pavorem aliquem afferas, ohne mir — zu bringen.* Nequaquam igitur mihi correctione opus videtur, ut: οὐ γὰρ ἂν μακρὰν ἴχνευον αὐθ', ὡς (Flor. Δ. habet αὐτῷ) μὴ οὐκ ἔχειν τι σύμβολον.

*OED. REG.* vv. 255. sqq.:

οὐδ' εἰ γὰρ ἦν τὸ πρᾶγμα μὴ θεήλατον,

ἀκάθαρτον ὑμᾶς εἰκὸς ἦν οὕτως ἐᾶν,
ἀνδρός γ' ἀρίστου βασιλέως ὀλωλότος,
ἀλλ' ἐξερευνᾶν.

Hic v. 257. triplex scriptura reperitur: ἀνδρός γ' — βασιλέως τ' ὀλ., ἀνδρός τ' — βασιλέως τ' ὀλ., et quam ego dedi, quamque nunc etiam Dindorfius praetulit. Et γέ quidem post ἀνδρός praeter Aug. utrumque et Dresd. B., qui τ' habent, omnes, quod sciam, agnoscunt, τέ vero post βασιλέως omittunt Laur. A. pr., Laur. B., Florr. ΓΔΘ., Lipss. uterque, Ms. V. apud. Liv., Bar. 1., Laud. C., Trin., Mosqu. A. et alii fortasse, in quo numero optimi libri sunt. Hinc Elmsleius recte eam scripturam, quam supra repraesentavi: ἀνδρός γ' ἀρίστου βασιλέως ὀλωλότος, unice veram sibi videri statuit. Neque enim, quod vir optimus Laius fuerat, eius caedis ultio ad populum Thebanum pertinebat; si privatus enim ille occisus fuisset, propinquorum erat vindicta; sed quod rex fuerat idemque optimus vir. Nam cum omnino regis interfecti vindicta ad populum pertineret, tum tanto sanctius erat hoc officium, quanto meliorem se virum praestiterat. Ἀνδρὸς ἀρίστου igitur praedicati vel appositionis loco pertinet ad βασιλέως. In vulgata scriptura ἀνδρός γ' ἀρίστου βασιλέως τ' ὀλωλότος primaria notio facta est secundaria et addititicia, quo nomine melior aliquanto est Erfurdtii et Hermanni lecrio: ἀνδρός τ' ἀρ. βασιλέως τ' ὀλ., quam sic vertas: *cum occisus esset qui ut vir optimus, sic etiam rex optimus erat*, vel *rex pariter ac vir optimus;* verum τε — τέ particulae cum paria iungant, minus recte hic adhiberentur, ubi regis notio est primaria, viri optimi secundaria.

*OED. REG.* v. 305.:

Φοῖβος γάρ, εἰ καὶ μὴ κλύεις τῶν ἀγγέλων etc.

Hunc locum Hermannus ad Vig. p. 832. sq. de vi particularum *εἰ καὶ* et

καὶ εἰ disputans sic vertit: *si hoc etiam non audivisti ex nuntiis, wenn du es auch nicht von den Boten weisst.* Non indicari, non audivisse Tiresiam, sed fieri forsitan potuisse ut non audiverit. Equidem contra Oedipum statuerim significare sibi Tiresiam iam audivisse videri, ac verterim: *wenn du es ja nicht gehört hast.* Cfr. Aristoph. Ran. 74.: τοῦτο γάρ τοι καὶ μόνον | ἔτ' ἐστὶ λοιπὸν ἀγαθόν, εἰ καὶ τοῦτ' ἄρα, ubi deus se dubitare indicat verene hoc sit bonum. Ceterum cum Laur. A. pr. κλύῃς habeat, non multum abest quin coniunctivum praeferam: *si adeo non audieris.*

*OED. REG.* vv. 328. sq.:

πάντες γὰρ οὐ φρονεῖτ'· ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε,
τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.

Hoc difficillimo in loco, quem nuperrime Bothius infelicissime tentavit, proxime ad verum Erfurdtius et Elmsleius in ed. alt. accessisse videntur, quorum explicationem ex ipsorum libris petas. Vellem tamen dixissent, quomodo ὡς ἂν acciperent. Nec mihi quicquam mutandum videtur, nisi forte μή prius v. 328. in μήν, cfr. vv. 810. 870. Verte: *ego vero non sane unquam, mea simulāc dixero, tua proferam mala;* quod cum breviloquentia quadam dictum pro: *non sane ego unquam tua proferam mala facinora, quod fiet, simulac mea vaticinia dixero,* vel: *non committam, ut una cum meis vaticiniis tua facinora aperiam.* Particula ὡς hic est temporalis, quemadmodum iam Reisigius ad Oed. Col. p. 357. accepit, qui mutata sic interpunctione: ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε τἄμ', ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὰ σ' ἐκφ. κ., vertit: *quoquo modo dico,* i. e. *dum loquor, nunquam mea proferam, ne tua aperiam mala;* in quibus, ut cetera taceam, eo erravit, quod aoristo εἴπω praesentis vim tribuit, quasi scriptum sit ὡς ἂν λέγω. Praesentis coniunctivo iunctae particulae ὡς ἂν et ὥσπερ ἄν, temporali vi si

ponuntur, significant *dum, donec, quoad, während, so lange als*; cfr. Aiac. 1117. Phil. 1330. Oed. Col. 1361. Archestratus ap. Athen. III. p. 101. C. v. 9. sq., aoristi coniunctivo praemissae aut *simulac* cum futuro exacto, cfr. Aristoph. Pac. 24., Hermann. ad Vig. p. 943. sq., aut *donec* cum futuro exacto, ut Eurip. Phoen. v. 90.

*OED. REG.* vv. 1280. 81.:

τάδ' ἐκ δυοῖν ἔῤῥωγεν, οὐ μόνου, κακά,
ἀλλ' ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ συμμιγῆ κακά.

Hos versus Dindorfius ut indignos Sophocle seclusit. Verum deletis iis haud scio an vv. 1282. sqq. minus apte cum v. 1279. cohaereant. Mihi certe tum transitus a narratione ad insequentes sententias nimis abrupte fieri et paene desiderari videtur. Ut vero iusta illa quae plerosque movit offensio tollatur, vide ne duabus litteris mutatis legendum sit: τάδ' ἐκ δυοῖν ἔῤῥωγεν, οὐ μόνου π ά ρ α.

*OED. REG.* v. 1526.:

ὅςτις οὐ ζήλῳ πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων.

Hanc omnium librorum et Etymologi Gudiani p. 659. 30. scripturam a Dindorfio nunc revocatam varie viri docti mutarunt. Hermannus ex coniectura edidit: ὃν τίς οὐ ζηλῶν πολιτῶν καὶ τ. ἐπ.. Quae etsi sensum praebet aptissimum, tamen si idem minori mutatione effici possit, haec haud dubie praeferenda fuerit. Atque hoc mihi Hermanno rectam viam praeeunte assecutus videor una littera mutata sic scribendo: o ὗ τίς οὐ ζήλῳ πολ. κ. τ. ἐπ.; oὗ ut pendeat a ζήλῳ et τύχαις. Ordo est igitur: οὗ ζήλῳ καὶ τύχαις τίς πολιτῶν οὐκ ἐπιβλέπων; Ζῆλος est *conditio aemulanda, invidenda, felicitas*, ut Aiac. v. 503. Ad ἐπιβλέπων ut in Hermanni coniectura ex praecedentibus repetendum ἦν. Ut hic ego οὗ in ὅς abiisse puto, sic contrario errore in Panyasidis versu ap. Stob. Flor. XVIII, 22.

v. 2. pro ὅς κ' ἀνδρῶν πολὺ πλεῖστον ἐν εἰλαπίνῃ μέθυ πίνῃ, in ed. Frob. legitur οὐκ ἀνδρῶν. In relativis vero enuntiationibus passim τίς interrogativum in indefinitum τὶς librariorum aut incuria aut inscitia mutatum reperitur, ut Soph. fr. inc. XCIV. (Nr. 782. Dind.) apud Strabonem XV. p. 1008. (T. III. p. 252. Tauchn.) in ultimis poetae verbis ὅπου τίς ὄρνις οὐχὶ κλαγγάνει; scribendum, non τις.

*ANTIG.* vv. 838—841.:

οἴμοι γελῶμαι. τί με, πρὸς θεῶν πατρῴων,
οὐκ οἰχομέναν ὑβρίζεις,
ἀλλ' ἐπίφαντον;

Libri veteres v. 840. ὀλομέναν habent omnes praeter Dresd. A., ubi ὀλλυμέναν. Tricliniana recensio οὐλομέναν, quod sane miror patronos nancissi potuisse. Ὀλομέναν per se quidem bonum, antistrophici versus metro non convenit; quare ὀλλυμέναν quidam recepere, quod tempore peccat. Hermannus antistrophicum versum vitio laborare putat. Mihi contra videtur; suspicor enim Sophoclem scripsisse οὐκ οἰχομέναν, cui quod opponitur ἐπίφαντον ex amussi respondet. Exempla verbi οἴχεσθαι simpliciter positi pro τεθνάναι, *mortuum esse,* tam multa reperiuntur, ut sufficiat participii sic positi afferre haec: Electr. v. 146.: νήπιος ὃς τῶν οἰκτρῶς οἰχομένων γονέων ἐπιλάθεται. Aesch. Pers. 546. Dind.: κἀγὼ δὲ μόρον τῶν οἰχομένων αἴρω δοκίμως πολυπενθῆ. Ib. v. 915.: εἴθ' ὄφελε, Ζεῦ, κἀμὲ μετ' ἀνδρῶν τῶν οἰχομένων θανάτου κατὰ μοῖρα καλύψαι.

*TRACH.* vv. 839—842.:

— — μελαγχαίτα τ'
ἄμμιγά νιν αἰκίζει
Νέσσου θ' ὕπο φοίνια δολόμυθα κέντρ' ἐπιζέσαντα.

In his libri nihil variant, nisi quod Laur. B. μελαγχαίτας τ', Vat. et Par.

*μελαγχαίτας ϑ'* habent. Hermanni ingeniosam emendationem, qui eiecto *Νέσσου ϑ'* scripsit *ὑποφόνια δ. κ. ἐπ.*, quam etiam Gaisfordius recepit, veram tamen non iudicavit Dindorfius, qui librorum scripturam revocavit, nisi quod *φόνια* cum Brunckio dedit. Ac sane dubiam illam hoc reddit, quod sic quoque in stropha v. 831. inutile illud *γ'* post *ἐπίπονον* inserendum est, merito eiectum a Dindorfio. Particulam enim istam nec liber ullus agnoscit, neque ad sensum ullo modo requiritur, neque suo loco est posita, cum mortuus Hercules non aerumnosam modo servitutem non amplius toleret, sed nullam omnino, nisi *γέ* ad *λατρείαν* potius referendum censeas. Iam ut quid mihi videatur exponam, primum Erfurdtium recte coniecisse puto, scholiastam *Νέσσου* non agnoscere. Eo enim referenda opinor verba: *δῆλον δὴ ὅτι φοίνια τὰ κέντρα τοῦ Νέσσου.* Deinde *φοίνια*, non *φόνια* praeter libros bis habet scholiasta; praeterea eundem pro certo habeo non legisse *ὕπο*, cuius in tota eius explicatione nullum exstet vestigium, ut hoc quoque, pariter ac *Νέσσου ϑ'*, quorum originem bene ostendit Hermannus, quamquam non facile dicas quomodo irrepserit, extrinsecus illatum videatur. Relinquuntur tum haec:

*φοίνια δολόμυϑα κέντρ' ἐπιζέσαντα*,

quae strophicis respondent his:

*ἔτι πότ' ἔτ' ἐπίπονον ἔχει ϑανὼν λατρείαν.*

Forma autem responsionis haec est:

Stroph.: ∪́ ∪ ∪ ∪ ∪ ∪ ∪́ ∪ ∪ — ∪ —́ ∪ — —

Antistr.: —́ ∪ ∪ ∪ ∪ —́ ∪ — ∪ —́ ∪ — ∪.

*TRACH.* v. 1004.:

*ϑαῦμ' ἂν πόῤῥωϑεν ἰδοίμην.*

Hermannus recte refutatis scholiastae ac Triclinii caplicationibus et quorundam coniecturis, „*una ratio est*, inquit, *qua sine mutatione aptum sensum*

*efficius si signum interrogandi apponas. Miraculumne ex longinquo visurus sum? Id ergo feci.*" Vellem equidem addidisset eorum explicationem. Nec secutus est Dindorfius, cautior ille Wundero, et recte quidem, quamquam nescio, quomodo ipse locum explicet. Mihi sensus, a quo omnes mirum quantum aberrarunt, hic videtur esse: *hoc miraculum non videbo.* Procul sive e longinquo aspicere sive videre quod ex propinquo est aspiciendum, idem fere est ac non videre. Cfr. Phil. v. 454.: τὸ λοιπὸν ἤδη τηλόθεν τό τ' Ἴλιον καὶ τοὺς Ἀτρείδας εἰσορῶν φυλάξομαι. Inde ἄποπτος explicandum, Oed. Reg. v. 762.: ὡς πλεῖστον εἴη τοῦδ' ἄποπτος ἄστεως. Phil. v. 467. καιρὸς γὰρ καλεῖ πλοῦν μὴ 'ξ ἀπόπτου μᾶλλον ἢ 'γγύθεν σκοπεῖν. Cfr. Oed. Reg. 795.

*TRACH.* vv. 1046. sq.:

ὦ πολλὰ δὴ καὶ θερμὰ καὶ λόγῳ κακὰ
καὶ χερσὶ καὶ νώτοισι μοχθήσας ἐγώ.

Hermannus, *mirum est*, inquit, *reliquisse criticos Bothio correctionem huius loci, qui recte dedit κοὐ λόγῳ κακά. Vid. v. 744. (747.).* Obtemperarunt Wunderus ac Dindorfius. Ego vero Hermannum quoque Bothio mallem reliquisse istam quam putat correctionem. Mihi certe secus videtur. Recte Cicero vertit: *o multa dictu gravia, perpessu aspera.* Καὶ λόγῳ est *dictu quoque*, καὶ λέγειν κακά, *sogar für die (blosse) Erzählung, Beschreibung.* Cfr. Electr. 761.: τοιαῦτά σοι ταῦτ' ἔστιν, ὡς μὲν ἐν λόγοις ἀλγεινά etc. Aesch. Prom. 197. ἀλγεινὰ μέν μοι καὶ λέγειν ἐστὶν τάδε. Eurip. Phoen. 400. Pors.: μέγιστον· ἔργῳ δ' ἐστὶ μεῖζον ἢ λόγῳ. Et sic saepissime. Ceterum non refragabor, si quis καί non *etiam*, sed *et* esse velit. — In altero versu Hermannus pro Triclinianorum librorum et Brunckiana scriptura χερσί ex Harl. et Ald. revocavit χειρί, quod mihi quoque olim propter librorum auctoritatem revocandum videbatur. Nunc vero, cum χερσί non tantum Laur. A. et Vat. B. exhibeant, sed etiam glossa quae apud Hesychium, Photium, Suidam, in Bachmanni Anecdotis I. p. 265., alibi fortasse, legitur, καὶ χερσί· καὶ ἔργοις, ad hunc ipsum Sophoclis locum referenda videatur, Gaisfordium recte καὶ χερσί retinuisse existimo.

*PHILOCT.* v. 493.:

ὃν δὴ παλαί' ἂν ἐξότου δέδοικ' ἐγὼ
μή μοι βεβήκοι.

Finem huius scriptiunculae faciam expediendo, si potero, loco difficillimo.

Qui *παλαὶ ἂν* tuentur, suppleri iubent *εἴη*, ut Hermannus de partic. *ἂν* p. 187. Contra Schaeferus Appar. ad Demosth. I. p. 783.: „*παλαὶ ἂν quam ineptum sit, facile senties, si verteris: diu sit, das dürfte lange her sein. Sic pius filius non loquitur, qui certo scit, dudum patri se metuisse, non dubitat, an dudum metuerit.*" Verissime haec dicta. Longe diversa ratio est Oed. Reg. 567.: *πολλοὶ παλαιοί τ' ἂν μετρηθεῖεν χρόνοι.* Idem Schaeferus laudat Buttmannum, qui e recensione Tricliniana restituerit *παλαιόν.* Quo recepto nulla sane relinquitur difficultas, nisi quod merito mirari possis, unde ineptum illud *παλαὶ ἂν* originem duxerit, quod etiam recens collati Flor. Γ. Laur. B. C. Ricc. habent, in Laur. A. vero in *παλαιάν*, ut in ed. Col. in *πάλαι ἂν* abiit. Praeterea v. 494. meliores et plures libri (Brunckii membr., Harl., Laur. A. B., Flor. Γ. omnesque edd. vett.) *βεβήκοι*, pro quo nunc ex Par. B., cui accedit Laur. C., editur *βεβήκῃ*; Par. T. autem et Ricc. *βεβήκει.* Vide vero ne *βεβήκοι* verum sit atque ad hoc referendum illud *ἂν* mire sane traiectum, ut hic sit ineundus ordo: *παλαιὰ (ἐστιν) ἐξ ὅτου δέδοικα μή μοι ἂν βεβήκοι.* Cfr. Trach. 630.: *δέδοικα γὰρ μὴ πρὶν λέγοις ἂν τὸν πόθον τὸν ἐξ ἐμοῦ*, ubi vid. Schaefer.. Traiectio illa particulae *ἂν* forsitan sic possit explicari. Omisso *ἐξότου* poeta dicere poterat: *παλαὶ ἂν δέδοικ' ἐγὼ μή μοι βεβήκοι*, in quibus sedes particulae nullam habebit offensionem, cum *παλαιά* non necessario cum *δέδοικα* iungatur, sed ad *βεβήκοι* trahi possit; simplex enim sententia est *παλαιὰ ἂν μοι βεβήκοι.* Exempla particulae similiter transpositae attulit Hermannus in libro de part. *ἂν* p. 194. sq. Iam notum est pro *πάλαι* vel *πολὺν χρόνον* saepe dici *παλαιὸς* vel *πολὺς ἀφ' οὗ χρόνος* et ita orationi inseri, ut si nihil prorsus illae formulae essent nisi simplex adverbium, cuius generis exempla satis memorabilia collegit Lobeckius ad Aiac. v. 601. (602.) p. 309. Sic fieri potuit, ut Sophocles hic pro simplici *παλαιά* poneret *παλαὶ ἐξότου*, et tamen *ἂν* post *παλαιά* relinqueret. Hoc igitur modo nihil omnino hoc loco mutandum fuerit. Meliora tamen docenti lubens cedam.

---

*ERRATA.* P. 5. v. 18. l. *ψευσθεῖσα.* P. 7. v. 17. l. *γάρ.*